

Ies homines debent distinguere inter peccatum originale, & creaturam. Comment. in c. 4. & 25. Genes.

151. Et si vel maximè interdū de Naturæ nostræ transmutatione verba facit Lutherus: quid tamen hac loquendi formulâ velit, haud dissimulat, ita in commentario suo in cap. 3. Geneseos inter justitiam originalem, & naturam ipsam distinguens, ut illam quidem amissam, hanc verò & membra hominis quoad substantiam eadem mansisse, disertissimè restatur: Verba Lutheri ad verbum sic habent: porrò hæc omnia probant, originalem Iustitiam fuisse de naturâ hominis. Eâ autem per peccatum amissâ, manifestum est, Naturalia non mansisse integrâ, sicut Scholastici delirant. Sicut enim Naturæ hominis fuit, incedere nudum, plenum fiduciâ & securitate erga DEVUM, & sic placere DEO & hominibus: Ita nunc post peccatum sentit homo, hanc nuditatem innocentis naturæ displicere DEO, sibi & omnibus creaturis; ideo parat perizoma-ta, & tegit Corpus. Hæc an non est NATVRAE IMMVTATIO? MANET quidem NATVR A, sed multis modis CORRVPTA: Siquidem fiducia erga DEVUM amissa est, & Cor plenum est diffidentiâ, metu, pudore. Sic MANENT IN NATVRA MEMBRA EADEM; sed qua antea nuda cum gloriâ  
M 5 conspi-